

SCRIPTA

Numéro Scripta : 7526

Auteur(s) : Évreux (official)

Bénéficiaire(s) : Saint-Évroult-Notre-Dame-du-Bois, Notre-Dame (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1266, 5 juin

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Bail à vie de vignes situées à Toéni (canton de Gaillon).

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Études sur la condition de la classe agricole et l'état de l'agriculture en Normandie au Moyen Âge*, Évreux, Hérissey, 1851, Appendice XI, p. 691-692.

Dissertation critique

Pâques tombe le 4 avril en 1266 ; la fête de la Sainte Trinité tombe ainsi le 30 mai. Le samedi après le dimanche 30 mai est le 5 juin en 1266. Cf. L. Delisle propose : mai 1266.

Texte établi d'après a

Omnibus hec visuris, officialis curie Ebroicensis, salutem in Domino. Noveritis quod Rogerus dictus Aquila, in jure coram nobis personaliter constitutus, recognovit et confessus est se recepisse, quoad vixerit, duas pecias vinee continentes tria arpenta vel circiter, sitas in parrochia de Thoneyo, a viris religiosis abbate et conventu Sancti Ebrulfi, Lexoviensis diocesis, ita videlicet quod dictus Rogerus dictas pecias vinee tenetur replantare, meliorare et ad sumptus suos proprios secundum consuetudinem illius patrie colere, ac etiam in statu bono conservare, hoc adjecto quod dicti religiosi singulis annis in tempore vindemiarum medietatem vini seu fructuum, in predictis vinee peciis crescencium, absque contradictione et impedimento dicti Rogeri percipient et habebunt ; et iidem religiosi medietatem omnium sumptuum, qui tempore vindemiali in vino seu fructibus dictarum vinee peciarum colligendis, pressorandis et ad pressorium defferendis fient, solvere tenebuntur ; nec poterit dictus Rogerus dictas peras vinee vindemiare, seu earumdem fructus colligere, donec predictis religiosis seu eorum mandato certo significaverit, ut ipsi aliquem certum nuncium suum ad vindemiandum dictas pecias seu colligendos fructus earumdem mittant ; quod facere tenebitur idem Rogerus ita tempestive, quod iidem religiosi dictum nuncium suum mittere possint faciliter ad predicta facienda. Que omnia predicta promisit idem Rogerus, tactis sacrosanotis euvangelis, fideliter conservare et absque omni fraude, dolo et calumpnia custodire. Et sciendum est quod post decessum dicti Rogeri predictae vinee pecie ad dictos religiosos statim, absque contradictione et impedimento heredum dicti Rogeri seu cujuscunque alterius, absolute et libere revertentur. Ad que omnia premissa tenenda et observanda obligavit se idem Rogerus et omnia bona sua, mobilia et immobilia, adquisita et adquirenda, et heredes suos quoscunque, se et sua omnia et heredes suos, ubicumque se vel ea bona transferri contigerit, jurisdictioni curie Ebroicensis supponendo. In

cujus rei testimonium, presentibus litteris sigillum curie Ebroicensis duximus apponendum. Datum anno Domini mo cco lxmo sexto, die sabbati post Trinitatem.